

CAP. XIII.

Præcipua, quibus, S. Scripturam sui ipsius interpretem esse, probare contendunt Reformati, argumenta proponuntur, atque resolvuntur.

Pergimus itaque ad secundæ classis argumenta, quæ à Ratione, fidei analogiâ, Scripturæ affectionibus, ac aliunde peti diximus. Horum autem esto

Primum, *Omnes controversiæ de rebus fidei dirimi judicarique debent à Scripturâ: At omnis Scripturæ interpretatio est quædam controversia de rebus fidei: Ergo omnis Scripturæ Interpretatio dirimi judicarique debet à Scripturâ.* Sic argumentatur Chamier. Panstrat. Catholic. Tom. 1. lib. 16. cap. 6. *Ac Majorem dicit prolixè fuisse disputatam, demonstratamque librò primò. Minorem verò per seipsam patere. Quia exemp. grat. si præ manibus sit illud, Hoc est corpus meum, explicandum, non potes ei sensum ullum affingere quò non fulciatur pars aliqua contendentium. Si sic intelligas, hoc transsubstantiatur in corpus Christi, Papistarum partes suscipis. Sin verò, hic panis localiter jungitur corpori Christi, transis ad Lutheranos. Sin, hoc est nudum, vacuumque signum corporis Christi, deficis ad Anabaptistas. Si denique, hic panis est corpus Christi: sive, est Sacramentum corporis Christi: tum in sinum tercipis Ecclesiæ Catholicæ. Quæ igitur ratio erit dijudicandarum harum controversiarum, eadem ostendet, confirmabitque verum legitimumque sensum eorum verborum. Constat verò eas controversias dijudicari à Scripturâ. Cur non igitur hunc ipsum locum ab eadem explicari?*

Huic argumento ut commodè respondeatur, consideranda duplex est distinctio. Prima est, quòd vox *Scriptura* sumatur vel formaliter, vel materialiter: *materialiter* sumta significat vocabula, phrâses, modos loquendi, ac orationes, quibus Prophetæ, Euangelistæ, Apostoli, ac reliqui Librorum sacrorum Scriptores, in Divinis eloquiis conscribendis, usi fuerunt: *Formaliter* verò accepta denotat mentem, quam illis verbis exprimere voluerunt, ac sensum, quem, dum ista exarabant, in animò habuerunt, iidem illi Sancti Autores. Altera est, quòd *Res Eidei* accipiantur vel latè vel strictè. *Strictè* si sumantur, sub iis tantùm comprehenduntur, quæ ad salutem creditu sunt necessaria, quæque vulgò Articuli Fidei vocantur, & summatim in Symbolò Apostolorum continentur. *Latè* verò in harum censum veniunt, omnia, quæ quòquò modò ad Fidem referri queunt. His prælibatis argumenti *majorem* concedimus sub distinctione, nempe *omnes controversias de Rebus*

Rebus